



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De veritate & fidelitate Dei in promissis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

III. De veritate & fidelitate Dei in
promissis.

I. **E**Xpende 1. quàm latè se exten-
dat hæc Diuina veritas & fideli-
tas, ad omnes videlicet veritates vn-
quam à Deo reuelatas, ad omnes figu-
ras veteris Testamenti, vmbra futu-
rorum, ad omnes promissiones in v-
Psal. 144. troque testamento factas. *Fidelis Do-*
minus in omnibus verbis suis. 2. Quàm
Psal. 116. longa, seu æternum inconcussa per-
durans: *Veritas Domini manet in æter-*
num. 3. Quàm sublimis, seu quàm in-
finitè perfecta & infallibilis sit, cui
nec addi quicquam, nec demì possit.
4. Quàm profunda, & incomprehen-
sibilis, tum quod sit circa res abstrusis-
simas, longissimeque omnem creati
intellectus captum superat, tum quod
Deus ipse sit veritas. Quàm longè ex-
cedit hæc infinita veritas & fidelitas
Dei, omnem creatam veritatem & fi-
delitatem, quæ ex se tam arcta, tam
breuis, mutabilis & fallibilis depre-
henditur: quàm viuam proinde fidè,
quàm filialem fiduciam, quàm arden-
tem dilectionem à nobis vicissim exi-
git! Affectus fidei, spei, charitatis hic
subiungendi.

II. Quo-

II. Quomodo Deus hanc suam infinitam veritatem & fidelitatem in hoc sæculo manifestarit, tot figuras, tot prophetias in veteri lege Patribus factas, maximè circa aduentum Saluatoris: similiter in noua lege prædictiones & promissiones Christi Domini circa Ecclesiæ suæ incrementum, inconcussam inter persecutionum procellas stabilitatem, peculiaremq; Spiritus sancti assistentiam accuratissimè adimplendo. Affectus ijdem repetendi cum zelo tam *fidei* Domino *fidelius* seruiendi.

III. Quomò demùm clarius manifestaturus sit hanc eandem veritatem & fidelitatem in futuro sæculo, omnia à se reuelata & prædicta, de statu beatæ aut miseræ æternitatis, implendo. quàm luculenter damnati infallibilem veritatem Dei, æterna reprobis intentantis supplicia, æterno eialatu, testabuntur? & quàm perspicaciter beati infallibilem fidelitatem eiusdem, æterna iustis promittentis præmia, cum ineffabili cordis tripudio, intuebuntur? Affectus ijdem cum oppositis practicis renouandi.